

us permittit, ut Spiritus S. recederet à Saule, dumque ei suam gratiam subtraxit, tradens ipsum in mentem reprobam, ut in tot ac tanta peccata fuerit prolapsus, videtur esse causa peccati, & ad id concurrisse. Verum videtur saltem, cum re ipsa non sit. Salva quippe perstat adhuc Doctrina nostra, quæ in *Art. XIX. A.C.* continetur, quod causa peccati sit voluntas malorum, videlicet Diaboli & impiorum, quæ non adjuvante Deo avertit se à Deo. Vide *Carpzov. Isagog. in Libb. Symb. p. 49.* Nam si intueamur Regis nostri exemplum, certè ex propriâ ipsum voluntate peccasse deprehendemus. Aderat quippe aliquod Dei mandatum, quod Saul submissâ debuerat exequi observantiâ. Eam certè ob causam Deus per Samuelem id ipsi imponi jusserat, cum nugari aliàs censendus esset is, qui diceret, Deum poscere obedientiam, & tamen velle, ut homo inobedientem se gerat. Dum itaque Saul non efficiebat, quod ipsi fuerat mandatum, adeoque evadebat inobediens, profectò non nisi suâ culpâ propriâ peccavit. Deinceps cum hoc peccato admissio excusâque gratiâ divinâ non rediret seriò dolens atque pœnitens, sed in suâ potius impietate persisteret, non potuit Deus, quin, poscente id iustitiâ vindicativâ, severissimè puniret hunc transgressorem subtractione suæ gratiæ, quam is antea adeò audacter & contra conscientiam ipse à se rejecerat. Non secus se res habet ac cum *Pharaone*, cujus cor similiter Deus indurâsse dicitur, sed non, ut peccati in eo extaret causa, sed ut antegressum peccatum peccatis subsequenter puniret. Omnis enim actus divinus, uti circa omnem peccantem talis est, ita & circa Saulem fuit *p. antecedens, p. Concomitans, p. Consequens.* Per antecedentem impedit peccatum, non ipsam quidem facultatem tollendo, sed voluntatem monitione & dehortatione potissimum internâ abstrahendo, cum dubium esse non possit, quin Sauli dicitur

lum

F

rit